





*Pri. 36. num. 5. 7*

*8.* EXERCITATIO IVRIDICA *1777, 22*

QVA

PRAETER VNAM IMMEDIATAM  
IVRIS INFAMIAM NVLLAM  
EXISTERE INFAMIAE  
SPECIEM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

CHRISTIANO GOTTLOB EINERTO

IVRISSCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE  
DOCTORE

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

*P. 253.* IOANNES CHRISTOPHORVS PORSCHE

ZITTAV.

---

D. II. DEC. MDCCCLXXVII.

---

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



3 2000

EXERCITATIO IUDICIALIS

PRAELECTIO VIVAM IMMEDIATAM

LYSIS IN AMIAI VIVAM

EXISTENT INEAMINE

SPECIEM

REPERTIO RATIONIS ORGANO ASSOCIATIONE

REPERTIO RATIONIS

CHRISTIANO GOTTLOB WERTHO


REPERTIO RATIONIS ASSOCIATIONE

REPERTIO RATIONIS

REPERTIO

REPERTIO RATIONIS ASSOCIATIONE

REPERTIO RATIONIS ASSOCIATIONE



REPERTIO RATIONIS ASSOCIATIONE

2000





Quemadmodum olim de legum Romanarum mole con-  
questus est LIVIVS<sup>a)</sup> et cum eo EVNAPIVS<sup>b)</sup>  
ideoque IVSTINIANVS<sup>c)</sup> saluberrimum confi-  
lium cepit refecandi hanc legum multitudinem: Ita  
certe non irritae mihi quoque videntur querelae de  
nimia diuisionum in iure copia, nec puto, vllum futurum esse  
tam morosum, qui hanc operam nostram in re utili, scilicet in  
refecanda quodammodo multitudine ista diuisionum occupa-  
tam aut improbare aut prorsus reiicere sustineat. Enim vero  
tantus in iure nostro extat diuisionum cumulus, vt, quantum in  
Iuris scientia versanti afferat difficultatem, experientia satis abun-  
deque doceat. Praeterea enim, quod in addiscendis iis, quae  
legibus fundatae, scitu maxime necessariae sunt, nonnihil tem-  
poris academici consumatur, ita certe ad nauseam vsque fati-  
gantur

A 2

a) Lib. III. cap. 34.

b) in vit. Aedes. p. 32.

c) vid. Pröem. Const. de nov. Cod.  
faciend.



gantur Iuris studiosi superfluis, et ex solo ingenio Iureconsultorum, qui, BARTOLINAM forte profusam iura tractandi methodum secuti, tales fingere olim in deliciis habere solebant, profectis diuisionibus. Quemadmodum igitur optandum esset, ut e compendiis omitterentur omnes eiusmodi inanes nec legibus fundatae diuisiones, ita multo magis abstinere deberent iuris interpretes iis, quae aut iuris analogiae plane contrariae, aut ob mutatam fori rationem hodie nullam ferunt applicationem. Sic quoque compilatores Corporis legum Iustiniani merito meo quidem iudicio reprehenduntur a GROENINGIO<sup>d)</sup> et aliis, quod non abstinuissent ab iis, quae redolerent superstitionem veterem, et mutata religione, nihil utilitatis haberent. Ex recentioribus autem iuris compendiis illud late exemplis commemorandis et explicandis docere, cum sit admodum operosum, in vnica infamiae diuisione hoc tempore versabor, quae in *maiolem* et *minorem*, *iuris* et *facti*, *mediatam* ac *immediatam* vulgo abire solet, licet omnibus iis diuisionibus plane superferre possimus, cum praeter *mediatam* istam omnes reliquas infamiae species exulare existimemus. Enimvero magnam partem aduersariam mihi paratam esse video cum ab iis, qui auctoritatibus nituntur, tum qui legibus Romanis hasce diuisiones introductas esse statuunt. Ut autem taceam, leges Romanas non ita absolute esse receptas, ut ab iis recedere nulla ratione liceat, certe tamen a receptione legum ad diuisionum receptionem nulla valet consequentia. Quamobrem, nisi quis exorbitanti erga IUSTINIANVM aut TRIBONIANVM religione abreptus tenaciter diuisionibus istis, quae in Corpore iuris Romani occurrunt, adhaerendum esse putet, non video causam, quae nos, quominus istas infamiae diuisiones, siquidem in Corpore iuris Romani earum mentio fieret, relinquamus, prohibeat. Nihil

d) de Naev. Corp. Iur.

hil dicam de iis, qui ad communem doctorum consensum prouocant, cum etiam me non monente, quilibet, quam leue sit illud argumentum a sola auctoritate ductum, intelligat. Accedit, quod non desint, qui iam illas iuris et facti, nec non maioris et minoris infamiae diuisiones vituperant, e quibus vnum SELCHOVIVM<sup>e)</sup> nominasse sufficiat, quorum sententiae non tantum accedimus, sed illam quoque mediatae atque immediatae, quam fingunt, diuersitatem prorsus exulare, in hoc libello academico demonstrandi periculum faciam.

§. 2.

Ne vero rationem disputandi receptam neglexisse videar, quid sit infamia, pressius diligentiusque definiendum est. In eo quidem consentiunt, quod scio, omnes, esse famae priuationem, licet in huius priuationis causa varie doctores sentiant, quorum alii ex commissione factorum turpium et iniustorum, alii vero ex iudicio de factorum istorum turpitudine eorum, qui iudicandi ius habent, eam oriri asserunt, et vt dicam, quid ego sentiam, magis mihi aridet posterior sententia, cum iniuste tortus, licet factum commiserit turpe omnino nullum, pro infami habeatur, donec a principe innocens sit declaratus. Haec ipsa vero infamiae definitio occasionem praebet, in famae significationem paulo curatius inuestigandi. Sensu quidem morali eam in solo iudicio publico de actionum moralitate consistere arbitror: <sup>a)</sup> sensu vero iuridico mihi est complexus iurium ab integra existimatione in Republica dependentium, et latius vtriusque famae discrimina enarrauit GODOFR. LYDOV. MENCKENIVS. <sup>b)</sup> Quemadmodum vero nullum certe est ius Ciuile in

A 3

Repu-

e) in Elem. Iur. Germ. L. I. C. I. §. 4. §. 206. et in Diss. Selecta Capita doctrinae de infamia Goett. 1770. Hal. 1734.

a) vid. Chr. Thomasi diss. de existimat. fam. et inf. extra Rempubl. Hal. 1734.

b) in diss. de fama forensi Vitteb. 1732.



Republica receptum, quod cum iuribus arbitrariis aliarum ciuitatum plane conspiraret, ita quoque leges diuersarum ciuitatum cum in definiendis modis amittendae bonae existimationis, tum in ipsis infamiae effectibus mirifice discrepant, quod nonnullis exemplis illustrare non alienum ab hoc loco esse putari. Ita enim apud Hebraeos praecipue incurrebant infamiam aleatores, foeneratores, et ex anni septimi seu remissionis frugibus quaestum facientes, vti refert SELDENVS <sup>c)</sup> ita quoque differunt mores Romanorum, et Graecorum, illi enim scenicos infamia, hi vero honore et dignitate eosdem afficiebant. <sup>d)</sup> Quantum vero a Romanis quippe iniungenda infamiae poena iusto facilioribus dissentiant Germani, qui amantissimi semper fuerunt honoris bonaeque existimationis, pluribus edocuit et rem ita pertractavit, vt vel doctiori nihil reliqui factum sit, SEIPIVS. <sup>e)</sup> Nec minus in effectibus infamiae maxime iura variant. Graecos enim seueriores fuisse in turpibus factis vindicandis, et tali labe notatum impune verberibus affici passos esse, demonstrauit HERALDVS. <sup>f)</sup> Sic quoque apud maiores nostros inter grauissimos poenae gradus famae priuatio referebatur, tristissimo effectu, veluti amissione munerum publicorum, remotione ab opificiis ac testimonii dictione coniuncta. Minus vero constantes erant Romani in decernendis infamiae effectibus. Licet enim plerumque inter eius effectus iure Romano referatur exclusio ab honoribus, dignitate et querela inofficiosi testamenti, interdum tamen magis ruboris infundendi causa, nec vt ciuiles effectus produceret, infamiam irrogatam esse, ex L. 2. D. de off. adfess. apparet, in qua MARCIANVS, legibus non prohiberi infames adfidere,

c) vid. de I. N. et G. sec. Disc. Hebr. L. 4. c. 5.

d) vid. Praefat. Cornel. Nepot. et Terrull. lib. de Spectac. cap. 22.

e) v. In der Abhandlung vom Unter-

scheide de ehrenruehrigen Strafen, nach Teutschchen und Roemischen Rechten. Goert. 1750.

f) de rer. iud. auctor. Lib. I. cap. I.

§. 13.



adfidere, claris verbis testatur. Ex qua iuris patrii et Romani diuersitate apparet, non omnino probandos esse, qui in hoc argumento sententiae suae fundamenta vnice in principiis iuris Romani ponunt, nec idèo agnosco infamiae diuisiones, quod forte in legibus Romanis earum vestigia reperiuntur, sed potius praeter mediatam istam, nullam prorsus eius aliam speciem, existere arbitror.

## §. 3.

In *magnam et minorem* vulgo diuidi infamiam, supra diximus, cuius species prior auctoritate quidem nititur legum, per posteriorem autem leuis notae maculam minus recte intelligunt. Quantum enim ab infamia abhorreat leuis notae macula, quilibet intelliget, qui vtriusque naturam curatius inuestigare velit. Enimvero maculam istam esse tantum eum statum, ob quem quis a certis honoribus ac dignitatibus aut ab hereditate excluditur, docent exempla personarum, quae ea laborare dicuntur. Infamia autem est priuatio existimationis et iurium inde dependentium, ob violatam turpibus factis honestatem, et inde subsequutam condemnationem. L. 17. C. h. t. L. 3. pr. D. de test. L. 31. C. de decur. Quis vero dixerit, mulierem, licet a dignitatibus, et ex lege *VOCONIA* quoque ab hereditate excluderetur, infamiae maculam habere, quis spurios a testimonii dictione ob illegitimam natiuitatem remouere audeat? Certe nullum eorum, quibus vulgo talis macula adspergitur, infamia laborare, ex sequentibus apparebit.

## §. 4.

Natales huius maculae, eam qui asserunt, aut natiuitati illegitimae, aut sordido viuendi generi, aut morum leuitati tribuunt. Originem vero prioris, si quis sincerius inuestigare velit, nisi a Clericis petat, qui, cum matrimonia inter sacramentorum



torum numerum referrent, illegitimos coitus reprimendi causa ab initio partum incestuosum declarabant inhonestum, et sine ratione deinde ad omnes illegitime natos extendebant, vix inueniet aliam. Nec mirum tamen, hocce Clericorum praeceptum tam communi Laicorum adiensu celebratum fuisse, cum olim Clerici, quicquid vellent, superstitiosae plebi persuadere possent, Imperatores quoque ipsi Clericorum sententiae accedere viderentur, legitimando liberos eiusmodi ex illegitimo coitu natos. Nihil vero magis incongruum, et iuris principiis contrarium esse videtur, quam eum punire, cui culpae imputari potest omnino nihil. Quemuis enim natura bonum praesumi, nec aliter, quam facto commisso connatae bonae existimationis iacturam facere, notum est inter omnes, et confirmatur auctoritate L. 22. C. de poenis, quacum conueniunt verba CALLISTRATI in L. 26. D. de poen. *Crimen vel poena paterna nullam maculam infligere potest filio, nam unusquisque ex suo admisso sorti adiicietur, nec alieni criminis successor constituitur.* Intermisio autem benedictionis sacerdotalis delictum quidem parentum est, non ergo partus vitium, ideoque post clandestina sponsalia genitus partus declaratur legitimus C. 2. X. de clandest. desponsat. <sup>a)</sup> Ideoque nec a munieribus decurionatus ob delictum patris liberos esse Iure Romano remotos, testatur VLPPIANVS, <sup>b)</sup> et cum olim opifices liberos illegitimo coitu natos in opificia recipere recusarent, expressse ille abusus sublatus est legibus recentiori us. <sup>c)</sup> Si quis vero vrgeat hodiernarum legitimizationum frequentiam tanquam signum maculae illegitime natorum, respondemus; peruersam plebis opinionem ius mutare non posse. Nihil vero difficilius est, quam superstitionem ex animis imperitae plebis symbolis adfuetae

a) cfr. STRUVIUS in Exerc. ad Pand. Ex. 29. Lib. 23. T. 2. §. 26.

b) L. 2. §. 7. D. de decur.

c) vid. Reichsfeh. 1731. Von Abschaffung der Handwercks-Mißbrauche. §. 2.

fuerat propellere, nec ii, quibus legitimandi potestas data est,  
 petitam legitimacionem concedere dubitabunt, cum haec ipsa  
 supersticio opificum iis lucrosa sit. Maioris autem momenti sunt  
 argumenta contraria ex iure Romano aut patrio petita. Scilicet  
 in L. 27. C. de inoff. test. maximum huius minoris infamiae  
 praesidium sibi inuenisse nonnulli putant, quibus tamen satisfe-  
 cit HEINECCIUS. <sup>d)</sup> Haud obscure enim ex collata lege 3. C.  
 Theod. de inoff. test. intelligitur, CONSTANTINVM huiusce  
 personis, leuis notae macula notatis, non infames, sed liberos  
 tantum subintellexisse, cum eorum exempli gratia disertis ver-  
 bis mentionem fecerit. Verba autem L. 3. ex qua et L. 1. C.  
 Theod. eiusd. tit. compilata est L. 27. C. de inoff. test. haec sunt:  
*Seruus necessarius haeres instituendus est, quia non magis patrimo-  
 nium, quam infamiam consequi videtur. Unde claret, actionem inof-  
 ficiosi fratribus relaxatam, cum infamiae aspergitur vitis is qui  
 haeres extitit, omniaque fratribus tradi, quae per turpitudinem, aut  
 aliquam leuem notam capere non potest institutus: Ita in hac quoque  
 parte, si quando Libertis haeredibus institutis fratres fuerint alieni, in-  
 officiosi actione proposita, praeualeant in omnibus facultatibus occupan-  
 dis defuncti, quas ille perperam ad Liberos voluerat pertinere. Inimi-  
 cum quippe hoc seculum erat libertis, nominatim vero CON-  
 STANTINVM iis infensum fuisse, apparet ex eo, quod in L. 3.  
 C. Theod. ad Sctum Claudian. eos *Spurios liberorum* vocauit,  
 hac potissimum ex ratione, quod seruilis conditionis atque adeo  
 notae calens sit et recens in his memoria, heri videlicet serui ho-  
 die liberi, et VEPERSIVS loquitur, *hesterni Quirites*. Hoc quo-  
 que libertorum odium quasi hereditario iure ad CONSTANTINI  
 filium CONSTANTIVM translatum esse videtur, qui donationem  
 bonorum a patrono liberto factam propter agnationem liberorum  
 reuocari, et ab eo auocari voluit L. 8. C. de reuoc. donat. quae  
 vtrique*

d) in diff. de lev. not. macula. Hal. 1720.



utique non auocatur, si aliis donatio facta fuisset, ceu latius IOH. BALT. WERNHERVS, <sup>e)</sup> demonstrauit, firmissimisque probauit argumentis. Qui ex patrio iure contra nos disputant, imprimis ad verba *Iuris Prou. Sax. L. I. art. 37. Kämpfer und alle ihre Kinder, Spielteut und alle die unehelig geböhren sind, die seynd alle rechtlos*, prouocant, ex quibus apparet, eos non minori illa, sed maxima adeo infamia notari, ceu apparet ex voce *rechtlos*. <sup>f)</sup> Praeterea autem, quod haec sanctio magis papatus, quam Germanorum principia redoleat, et tales liberi, licet fiscus iis sine prole defunctis iure bastardiae succederet, ipsi vero in principis proprietate essent, ideoque *Koenigs-Kinder* vocarentur, <sup>g)</sup> nunquam tamen apud vllam Germanorum gentem ad infames relati sunt, in cuius rei fidem vnicum HERTIVM <sup>h)</sup> laudare sufficiat. Hodie certe omni infamiae macula liberati sunt per sanctionem supra citatam. Nec maioris momenti illud argumentum est, quod tales illegitimi a dignitatibus Camerae imperialis excludantur. <sup>i)</sup> Supra enim iam monuimus, exclusionem talem a dignitatibus neutiquam ad infamiae effectus referendam esse, nec mirum videbitur haec dispositio Ordinationis Cameralis iis, qui non ignorant, quam strenuam curam in conseruando splendore huius iudicii maiores nostri adhibuerint, ideoque indignum iudicauerint, aliis, quam ingenuis seu nobilibus talem Reipublicae partem demandare. Recte itaque opinor iudicat de hac leuis notae macula CHR. THOMASIVS <sup>k)</sup> inquit: *Non rationi, non scripturae, non iuri Romano, sed artibus Clerici Pontificii debet originem.*

## §. 5.

e) in dissert. ad L. 8. C. de reuoc. donat. Vitteb. 1724.

f) vid. LOSSIVS in vocabulario spec. Sax. adiecto, et WACHTERVS in Glossario, sub hac voce,

g) de quibus plura retulit HERTIVS de homin. propr. S. 3. §. 3.

h) in Notit. regni Franc. C. 5. n. 9;

i) per Ordinat. Cam. P. I. T. 3. §. 2.

k) in diss. supra citata.



## §. 5.

Vt vero ad alteram classem personarum deueniamus, quae minorem istum infamiae gradum sibi contrahere dicuntur, eo referuntur, qui in vili aut turpi vitae genere versantur, de quibus singulis breuiter dispiciamus. Quantum carnifices ab omni infamia vacui sint, satis abundeque demonstrarunt IOH. SAM. FRIED. BOEHMERVS, <sup>a)</sup> et KAESTNERVS. <sup>b)</sup> Nihil quoque iniquius foret, quam eos infamiae poena afficere, qui iustitiam exequuntur, non violant, sed potius promouent honestatem. Causam vero odii istius erga carnifices si quis quaerat, eam potissimum ex iuris Romani receptione petendam esse, existimarem. Apud eos enim, licet infamiae non obnoxii essent, leuis tamen notae macula laborabant, propterea, quod carnifices nunquam in ciuium numero, sed seruilis plerumque fuerunt conditionis. <sup>c)</sup> Certe apud maiores nostros non ignominiosum fuisse carnificis munus ex eo intelligitur, quod olim TACITO <sup>d)</sup> auctore, sacerdotes, sub CAROLINGIS ipsi scabini, <sup>e)</sup> qui in speculo Sueuico <sup>f)</sup> *Frohboten* vocantur, interdum etiam priuati, veluti accusatores, agnati, sodales, executoris vice fungerentur. Denique etiam leges recentiores <sup>g)</sup> plenissime famae carnificis subuenerunt, adeo, vt, licet eius ministrorum liberi vsque ad secundam generationem ab opificiis excludantur, ideoque leuis notae macula quadam laborent, ipsius tamen carnificis munus honestum iudicetur. Tanto magis ridiculum est, nonnullos adeo eos ab opificiis excludi velle, qui cum carnifice aut eius ministro edunt, bibunt, aut aliud commercium habent, de qua

B 2

erro-

a) in diss. de executionis poenar. capital. honestate. Hal. 1738.

b) diss. de carnifice fama non laborante. Lips. 1745.

c) vid. Vell. Patere. L. 2. hist. Rom. c. 19.

d) de Morib. Germanor. c. 7.

e) vid. Capitular. L. 3. c. 13.

f) Cap. 25.

g) vid. Ord. Pol. 1530. et 1577. nec non Mand. d. 19. Octbr. 1731.



erronea sententia dignum est legere, quae CARPZOVIVS<sup>h)</sup> retulit. Cur autem milites statum amittant, qui cum eiusmodi personis versati sunt, aut adeo lictores fuerunt<sup>i)</sup> a quibus tamen excipiuntur<sup>k)</sup> qui ex improviso in societatem eiusmodi personarum peruenerunt, haec allegatur in citato *Generali* d. 1735. ratio: *Ob sie gleich nicht unehrlich, sondern nach denen Reichs-Gesetzen Handwercke lernen koennen, wegen des besorglichen Vorwurfs, und daraus entstehenden schaedlichen Folgen — hiernæchst aus dergleichen Vorwürfen Mord und Todtschlag entstehen koennen, und fast nicht zu vermeiden ist, de quibus inprimis conferatur HOFMANNVS,<sup>l)</sup> SCHMIEDERVS,<sup>m)</sup> et WAGA.<sup>n)</sup> Balneatorum autem famam ita vindicauit Celeberrimus WILDVOGELIVS<sup>o)</sup> vt, si plura de his adicere vellem, ne crambem recoctam denuo apponendo lectoribus molestiam afferam, verendum sit. Nec opus esse censeo multis verbis demonstrare, quantum ab omni infamiae labe alieni sint castratores suum, quippe per priuilegium illud notissimum *Leopoldinum* contra superstitionem plebis plane in integrum restituti. Tantum vero abest, vt quis hodiernos histriones ad infamiam numerum referre velit, vt potius haud pauci cum eiusmodi personis commercium habere sibi gratulentur, elegantesque nostri ac politi adolescentes, IUSTINIANI IMPERATORIS exemplum prae se ferentes; mulierum scenicarum diligentes frequentesque sunt sectatores. Superfedeo reliquas commemorare personas, quas vulgus infamiae minoris macula olim notauit. Quid enim opus est argumentis, cum adsit scriptum*

h) in Prax. Crim. P. 3. qu. 37. n. 59.

i) ex *Generali* d. 22. April. 1735. et 28. Decbr. 1743.

k) in *Infanterie-Dienst-Reglement* pag. 684.

l) *Cod. Militar. Lib. I. Tit. 7.*

m) *Sächf. Kriegs-Recht, Abtheil. 18.*

n) *dissert. de poenis militum ignominiosis et restitutione famae per vexillum* rec. Lips. 1744.

o) in *diss. de balneis ac balneatoribus*, Ienae. 1703.

prum ius, p) quod hisce peruersis vulgi opinionibus e diametro obstat?

§. 6.

Altera ignominiae species, quae vulgo statuitur, infamia facti est, quam famae volunt esse laesionem, siue existimationem laesam apud graues viros et honestos ob facta, quae existimationem grauant, ad infamiam vero ex iuris autoritate irrogandam haud sufficiunt. Licet vero hominem interdum committere, quae displicent alteri, pro ratione animi, educationis atque procliuuitatis naturalis, aut nondum tentatae correctionis, negari nequeat: Multa tamen, quae fiunt ex naturali ista infirmitate atque imbecillitate, qua laborant omnes, proficisci, quisque iustus rerum arbiter largiatur, necesse est. Ita enim mixta sunt in hoc orbe terrarum mala bonis, vt nonnulli, meliori forsitan gauisi educatione, quae, quantum ad morum probitatem promouendam faciat, me quoque non monente intelligitur, a decori regulis minus declinent, et in hoc honestatis studio praestantiores sint aliis, quos ob neglectam in iis educationis et instructionis curam, magis dolere ac deplorare, quam contemnere et infamare decet quemuis virum bonum, multoque magis Christianae religionis cultorem. Qui autem ad illud hominum de factorum turpitudine iudicium prouocant, miror, non intelligere fragilitatem huius argumenti. Quid enim magis experientia comprobatum est, quam id quod Titio aut Cajo placet, displicere Sempronio aut Maevio? Inexpiabile scelus commississe videtur parco et tenaci Euelioni, qui lauius viuendo magni sui patrimonii vsuras deliciis consumit, nihil contra huic sordidius est coeco isto auri amore. Increpat nunc et sper-

B 3 nit

p) vid. Reichs Pol. Ord. de 1548. 28. 29. 38. it. Mand. d. 19. Octobr. tit. 28. et 31. it. de 1577. tit. 1731.





nit morosus senex iuueniles iocos, quos olim ipse forsan amauit. Enciendos esse, clamat sacerdos religiosus, immos et histriones, quorum fabulis delectari, officii sanctitas prohibet. Cum itaque vel ob diuersitatem affectuum, vel ob aetatis disparitatem, vel ob officii rationem adeo varium et sibi minus constans deprehendatur mortalium iudicium, vereor, ut ex eo solo honestas aut turpitude facti certe determinari possit. Nil dicam, hoc ipsum iudicium de alienis factis plerumque esse suspectum. Est enim haec ingeniorum humanorum natura, ut curiosius aliorum, quam sua negotia et facta, praesertim ea, quae ancipitem habent interpretationem, perpendere, et maia fama celebrare soleant, siquidem aliorum vitia carpendo, suas virtutes nobilitari falso autumant. Quasi vero a priuatorum opinionibus penderet facti iustitia, cum hocce potissimum iudicium ad solum principem pertineat, nec par parem condemnare fas sit. Ut vero iis nunc satisfaciamus, qui ad iuris Romani auctoritatem prouocant, totam illam infamiae facti fictionem ex Censorina ista ratione natam esse arbitror. Scilicet cum Censoribus Quinia lege esset imposita ex omni ordine optimum quemque in senatum legendi cura, et praetereundi potestas eos, quos ob factorum inhonestatem minus dignos senatoria dignitate putarent, *notandi* ius Censoribus proprium exortum est, in cuius rei fidem vnicum LIVIVM<sup>a)</sup> testem excitare sufficiat. *Notatus* vero dicebatur, qui vel mouebatur senatu, nulla addita ratione, vel quem Censor subscriptis simul causis in electione senatorum praeteribat, quam quidem notationem grauiorem priori adscribit CATONIS Censorini aetati GUNDLINGIUS<sup>b)</sup> GELLII et CICERONIS auctoritate motus. Quanto magis autem vacare debent vitiis ii, qui flagitiorum coercendorum causa constituti sunt, tanto laudabilius est illud

a) Lib. XXXIX. cap. 42.

b) vid. Gundlingian. P. XVI. obf. I. §. 28.



illud Romanorum consilium de constituendo magistro morum,  
 qui civium mores curatius observaret, et ne in senatum improbi  
 et scelerati reciperentur, caueret. Eademque ex ratione non  
 possum eorum sententiae subscribere, qui Censores tantum pec-  
 catorum intemperantiae et voluptatis rationem habuisse existi-  
 mant, cum potius interesset Reipublicae, omnibus vitiis immu-  
 nem in senatum eligi, ideoque nullum plane inhonestum factum  
 Censorum solertiam effugere deberet, ceu pluribus exemplis ex  
 VALERIO MAXIMO <sup>c)</sup> MACROBIO, <sup>d)</sup> et CICERONE <sup>e)</sup>  
 demonstravit idem GVNDLINGIVS <sup>f)</sup>. Quid mirum vero, ea  
 facta, quae a Censoribus notata erant, aliis quoque civibus displicuisse, quum essent reprehensa ab iis, quos tota civitas morum  
 magistratos instituerat? Quid mirum, eos, in quos propter mo-  
 rum dedecus animaduerrerant Censores, in contemptu fuisse ple-  
 bis? Nemo vero non intelligit, quantam invidiam, quantum-  
 que odium sibi parauerint hac notatione Censores ab iis, quos  
 irrisioni plebis exposuerant. Nemini certe haec Censoria digni-  
 tas molestior fuit, quam patriciis, quos praecipue haec Censo-  
 rum plerumque plebejorum suffragiis electorum nota rangebat.  
 Vnde factum est, ut in fauorem patriciorum SVLLA Censores, qui  
 praeterea suo munere saepius abutentes phantastica cudebant, et  
 notae inflictae causas sat leues allegabant, plane delendos esse,  
 constitueret. Licet vero plebe postulante, iterum restituerentur  
 a PVB. CLODIO, tamen ita eorum potestas restricta est, ne in se-  
 natu legendo in posterum praeterirent, nisi qui apud eos accusa-  
 tus atque condemnatus esset. Quemadmodum itaque recte meo  
 iudicio GVNDLINGIVS et FREHERVS statuunt, ex hac  
 censura morum euenisse, ut nonnulla facta Romae grauibus for-  
 sitan viris displicerent. Ita e contrario quoque mirifice fallun-  
 tur,

c) Lib. II. cap. 9.

d) Saturn. L. III.

e) Orat. pro Cluent. cap. 41. et 42.

f) loco cit. §. 39.



tur, qui ex tali notatione infamiam ortam esse contendunt. Quis audeat enim ex hac notatione facti honestatem aut turpitudinem definire, cum hoc ipsum Censorum iudicium adeo esset diuersum et singulorum Censorum affectibus plerumque accommodatum? Huic enim displicebat, quod Lepidus lautius viueret, alter aegre ferebat, Manium praesente filia iu osculum vxoris se applicasse, tertius denique in Panfam animaduertebat ob sterilitatem agrorum. Nec vnquam tantam concessam esse Censoribus potestatem legimus, vt infamiam irrogare potuissent, quippe qui solummodo Magistri pudoris erant, vnde eleganter dixit MARRAVS<sup>g</sup>): *Longe aliud est, enervari et grauari pudorem, vel opinionem imminui, aliud infamiam irrogari.* Haud obscure quoque CICERO<sup>h</sup>) nostram sententiam confirmat: *Non in re nota consumam tempus exemplis. Ponam illud vnum: C. Getam cum a L. Metello et Cn. Domitio Censoribus ex senatu eiectus esset, Censorem ipsum postea esse factum, et cuius mores a Censoribus erant reprehensi, hunc postea et populi Romani et eorum, qui in ipsum animaduertebant, moribus profuisse. Quod si illud iudicium putaretur, vt ceteri turpi iudicio damnati in perpetuum omni honore ac dignitate priuantur. Sic hominibus ignominia notatis neque ad honorem aditus neque in curiam reditus esset. Nunc si quem Cn. Lentuli aut L. Gellii libertas furti condemnarit, is, omnibus ornamentis amissis nunquam ullam honestatis suae partem recuperabit. Quos autem ipse L. Gellius et Cn. Lentulus duo Censores clarissimi viri, sapientissimique homines, furti et captiarum pecuniarum nomine notauerunt, ii non modo in senatum redierunt, sed etiam ipsarum rerum iudiciis absoluti sunt: et porro: Censores ipsi, saepe numero superiorum Censorum iudiciis, si ista iudicia appellari vultis, non steterunt, atque etiam ipsi inter se Censores sua iudicia tanti esse arbitrantur, vt alter alterius iudicium non modo reprehendat, sed etiam rescindat: Vt alter de sanatu mo-*

g) in Paratit. ad D. de his qui notantur infamia.

h) Orat. pro Cluent. cap. 42. et 43.

veri velit, alter retineat, et ordine amplissimo dignum existimet, ut alter in aerarios referri<sup>1)</sup> aut tribu moueri iubeat, alter vetet. Quare qui vobis in mentem venit, haec appellare iudicia, quae a populo Romano rescindi, ab iuratis iudicibus repudiari, a magistratibus negligi, ab iis, qui eandem potestatem adepti sunt, commutari, inter collegas discrepare videatis.

Supereft, vt paucis nunc leges ipsas sub examen vocemus, quas ad defendendam infamiam facti aduersarii vrgent. Prouocant enim ad L. 13. C. ex quib. caus. inf. irrog. *Ea quae pater testamento suo filio increpans scripsit, infames quidem filios iure non faciunt, sed tamen apud bonos et graues opinionem qui patri displicuit, onerant.* Quae tamen Constitutio magis nostram sententiam confirmat, quam destruit. Primum enim voce vtitur opinionis, quae, si in actiones externas non abeat, iuris non est obiectum, nec imputatur, si quis penes se de altero malam fo-veat opinionem. Increpatio praeterea patris infamare nequit, licet ipsum factum quoque seu causam pater expresserit, quod tamen exemplum ne in lege quidem citata proponitur. Nam alioquin in Republica paucissimi, qui essent integrae famae inuenirentur, cum certe nemo magis, quam iuuenis inclinaret ad petulantiam, et vix vllus foret, quem non parentes in testamento increpandi causam haberent. Fac itaque, patrem voluisse filium sub spe amplissimae dotis ad matrimonium cum Caja ineundum cogere, quae tamen adeo gibberosae esset formae, et faciei tam deformis, vt primo intuitu taedium excitaret amoris: filius cum iussu paterno morem gerere recusaret, excitauit indignationem, et hanc ob causam in testamento a parente increpatus est. Quis credat, hac increpatione infamiam esse contractam? Accedit, claris quoque et disertis verbis talem opinionem ab infamia in textu allegato discerni.

Firmius

1) Quid sit ad aerarios referri, NOVIVS de pecunia veteri. L. IV. explicat IOAN. FRID. GRO. cap. I.



Firmius vero contrariae opinionis fundamentum inuenire sibi visus est HEINECCIUS in L. 2. D. de obf. parent: et patr. praestand. *Honori parentum ac patronorum tribuendum est, ut quamuis per procuratorem iudicium accipiant, nec actio de dolo aut iniuriarum in eos detur. Licet enim verbis edicti non habeantur infames ita condemnati, re tamen ipsa et opinione hominum non effugiunt infamiae notam.* Sed cum hanc legem ita diligenter exposuerit BODINVS, <sup>k)</sup> vt vix spicilegium supersit, opera abuti viderer, si in eius interpretatione diutius versari vellem. Quod vero denique attinet L. 2. C. de dignitat. in qua CONSTANTINVS ait: *neque famosis et notatis et quos scelus aut vitae turpitude inquinat, et quos infamia ab honestorum coetu segregat, dignitatis portae patebunt,* ea certe minus contra nos probat, quam priores sanctiones allegatae. Quippe explicanda est ex ista Censorum notatione, de qua disputauimus in hac ipsa paragrapho, simulque quantum haec notatio ab infamia aliena sit, demonstrauiamus. Obstat vltimo loco GRIEBNERVS <sup>l)</sup> qui propterea hanc infamiae speciem acrius defendit, quod effectibus non plane destituatur, et vt suae sententiae maius robur addat, ad L. 3. D. de test. prouocat, in qua CALLISTRATVS a testimonio remouendos suadet eiusmodi notatos et reprehensibiles homines. Etsi vero incicias ire nequeam, nonnullos esse huius reprehensionis Censoriae effectus, ceu ipse CICERO <sup>m)</sup> licet pro more Oratorum rem iusto latius extendat atque augeat, fatetur; ait enim de Oppianico, olim a Censoribus notato: *Cum illo iam nemo rationem, nemo rem vllam contrahebat, nemo illum ex tam multis cognatis et affinibus tutorem vquam liberis suis scripsit, nemo illum aditu, nemo congressione, nemo sermone, nemo conuiuio dignum iudicabat: Omnes aspernabantur, omnes abhorrebant, omnes vt aliquam immanem perniciosam bestiam pestemque fugiebant:* Ipse tamen CICERO eadem oratione caute hanc

Cen-

k) in diff. de iure circa inf. eiusque inter Christianos abusu, Hal. 1710.

l) in diff. de infamia. Lips. 1667.

m) vid. Orat. pro Cluent. cap. 14.

Censoris notam ab infamia distinguit, ceu patet ex locis supra adductis. Quod vero attinet L. 3. cit. in eodem quoque fragmento a testimonii dictione remouentur egentes, et qui lucri causa ad testimonium se offerrent, atque inimici. Quis est verotam iniustus et iniquus rerum arbiter, qui eos omnes ad infamiam classem referre audeat? Equidem nisi omnes infamiae effectus adsint, neminem infamia notatum censeo, motus praeterea hac ratione, quod in poenis infligendis mitior in dubio interpretatio praefenda sit. <sup>n)</sup> Caeterum, ne haec mea infamiae facti refutatio auctoritate destituta videatur, vnicum SELCHOVIVM, <sup>o)</sup> laudasse sufficiat.

## §. 7.

Reiecta igitur ac refutata ista facti et iuris infamiae diuisione, superest, vt et ipsam iuris infamiae subdiuisionem sub examen curatius vocemus. Scilicet hanc iuris infamiam vel *immediatam* vel *mediatam* esse communi consensu, quod scio, omnes Doctores affirmant, illamque vocant, quae a iure ciuili nulla interueniente cognitione irrogatur propter turpe factum, quod nullo prorsus modo, nullaque excusatione defendi vel colorari possit, hanc vero, quae praevia cognitione per sententiam adiudicata esset. Nolo iam morari in enumerandis iis, quos ad vtramque classem referunt, cum legantur vbiuis, et nostri instituti tantum sit, ipsam diuisionis veritatem inuestigare. A quo consilio facile me deterrere potuisset tantorum virorum, qui ante me strenue istam diuisionem defenderunt, auctoritas, et certe non vanus ille timor, ne forsitan huius diuisionis censura mea magis nimiae iuuenili arrogantiae quam veritatis studio attribueretur, nisi in mentem venisset notissimum illud: *Primam laudem esse inuenire utilia, proximam de inuentis recte et dextre iudicare.*

Equidem nunquam mihi persuadere potui, posse vllam irrogari infamiam sine antecedente causae cognitione, ideoque im-

C. 2

media-

n) conf. C. 49. X. de Reg. Iur-

o) in diss. supra citata.



mediatam istam ignominiam prorsus exulare putavi. Num recte iudicauerim, es iis, quae nunc pro defendenda mea qualicunque opinione prolaturus sum, argumentis, alii sincerius aestimabunt. Scilicet non docendi animo (a tanta enim arrogantia alienum esse oportet adolescentem hominem) sed eo potius consilio meam qualemcunque sententiam hac occasione oblata publici iuris facere volui, ut aliorum doctiorumque iudicio haec mea de existentia immediatae infamiae dubitatio tolleretur. Infamiam poenis connumerari cum ex L. 8. D. de poen. pr. Inst. de poen. tem. lig. et VARRONIS loco: *Tertia poenarum infamia* etc., tum ex multis locis Constitutionis Carolinae, veluti Art. CIV. CVII. CX. CXXII. quibus amissio honoris ad grauiiores adeo poenas refertur, intelligitur. Quod autem a poena separetur infamia in L. 22. D. de his qui not. inf. credendum est, idcirco fieri, quod in criminibus coercendis vix vnquam sola infamia poenae locum subeat, sed alias poenas comiteretur. Nihil vero aut video, aut ab aequitate et iustitia maxime abhorret, irrogare poenas sine praenota cognitione. Digna haec est iusti principis ingenio dispositio, in Const. criminali Art. VI. et VII. qua diligentissima criminis indagatio iubetur, antequam ad specialem eius inquisitionem, ne dicam ad poenam irrogandam iudices pergant. Nec desunt clara verba legum Romanarum, ex quibus, quantum ad infamiae poenam irrogandam causae cognitio antecedens atque sententia requiratur intelligitur, conf. L. 8. 10. 17. 18. 19. C. ex quibus caus. infam. irrogatur. Magisque id confirmatur CICERONIS auctoritate, qui infamiam *ex re iudicata* tantum oriri testatur, ideoque *notam Censoriam*, de qua diximus supra, *rei iudicatae* et iudicio opponit. Ait enim <sup>a)</sup> *Sequitur id, quod illi iudicium appellant. Maiores autem nostri nunquam neque iudicium nominarunt, neque perinde ut rem iudicatam obseruauerunt animaduersionem atque notam Censoriam. — Hic primum illud proponam, nunquam animaduersionibus Censoriis hanc civitatem*

a) vid. Orat. pro Cluent. cap. 42.

tatem ita contentiam ut rebus iudicatis fuisse. Timoris enim causam, non vitae poenam in illa potestate esse voluerunt.

Quanto clariora itaque sunt hac testimonia, tanto magis non possum non mirari, qui audeant isti memoratae diuisionis defensores prouocare ad legum Romanarum auctoritatem. Certe ex L. i. D. de his qui not, inf. ad quam prouocant immediatae infamiae vindices fere omnes, non video, quid ad vindicandam immediatam istam ignominiam possit elici. Praeter indicem enim factorum, ob quae infamiae poena irrogari debeat, continet haec lex omnino nihil, nec Praetor sine causae cognitione et sententia infamia quamuis notari iussit, sed mentionem potius fecit ipsius iudicationis atque condemnationis. Acutius autem defendit hanc mediatae et immediatae ignominiae diuisionem *Illustr. BERNH. SCHVLZEN*<sup>b)</sup> et inter vtramque discrimen ponit in eo, vtrum facta ignominiosa liquida statim sint nec ne? Ita enim disputat: *Vera autem ratio, cur quaedam facta et personae ipso iure, quaedam demum per sententiam notari dicantur, non est qualitas delicti et facti, sed quod quaedam facta sunt eius conditionis, ut fiant publice, aut utique liquido de iis constet, nec qui arguuntur, vlla se possunt exceptione tueri, quaedam vero solent committi clam, quantum fieri potest, aut certe an iure facta sint, disputari potest. Itaque de istiusmodi delictis non nisi per sententiam vere constare potest.* Habet haec disputatio veri speciem, curatius tamen illam, quam ponit *Ill. SCHVLZEN*, differentiam examinanti non arduum erit intellectu, quantum a vero abhorreat. Enimuero, vt vnicum saltem exemplum illustrationis causa afferam, omnium consensu referuntur ad immediate notatos, qui in scenam lucri causa prodibant. Erat enim scena populo bellicoso res noua, auctore *LIVIO*<sup>c)</sup> hinc miles citra capitale flagitium talem artem exercere non poterat, multoque minus eques, de qua re notatu digna

C 3

b) in dissertat. de infamia, Rintel. 1666. §. 6.

c) Lib. VII. c. 2.





digna sunt, quae leguntur apud BRISSONIUM<sup>d)</sup> et NORISIUM<sup>e)</sup>. Aut vero histriones artem suam publice et palam profitentur aut nulli. Nec deest tamen exceptio, qua scenici isti homines infamiae poenam effugere possunt. Quid enim, si virtutis causa in Xysto se exercere defensionis suae causae praetendant, et hoc praetextu infamiae poena se liberare velint? Nonne huius praetextus cognitio infamiae poenam praecedere debet? Si quis vero vrgeat exemplum meretricis, quae publice turpe vitae genus profitebatur, ideoque ad probrosas foeminas referebatur, L. 41. et 43. D. de rit. nupt. Respondeo, nec in tali foemina causae cognitionem superfacuam, sed necessariam adeo esse, si forte in seruitute talem quaestum corporis fecisset, ideoque ex SEVERI Rescripto infamiae poenam non meruisset, L. 24. D. de his, qui not. inf. In lenonibus quidem negat GVDLINGIVS<sup>f)</sup> requiri causae cognitionem. *Publice enim ait, hoc vitae genus profitebantur, utut pro peste et pernicie adolescentium a viris probis habebantur.* At, ne dicam confessionem propriam pro iudicato haberi, L. 1. et 6. D. de confessis, nec lenocinium quidem vacabat dubio, quin infamia puniretur, veluti dubium erat, vtrum is qui in seruitute olim lupanaria habuit, post libertatem quoque debeat notari? In qua dubia re POMPONIVS responsum tulit, testante VLPIANO in L. 4. §. 3. D. de his qui not. inf. quam legem cum L. 24. eiusd. tit. cuius supra mentionem fecimus, RAMOS<sup>g)</sup> eleganter conciliauit. Accedit, quod nec in genere ius Romanum in hoc argumento pro norma accipiendum sit, ceu supra pluribus demonstraui, multo minus vero in diiudicandis exemplis modo laudatis applicationem ferat, cum constet inter omnes, nemini hodie apud nos licere propriam hancce turpitudinem publice profiteri et sibi quasi peccandi priuilegium comparare.

§. 8.

d) de iure connub. p. 19. edit. Paris, 1594.

e) in Cenotaph. Pisan. p. 279.

f) ad *πεῖρα*, Lib. III. Tit. 2. §. 13.

g) Comment. ad Leg. Iul. et Pap. Lib. III. cap. 25.



## §. 8.

Quae cum ita sint, praeter vnam immediatam iuris infamiam nullam dari, consequitur, adeo ut, si quis infamia poena afficiendus sit, necessario requiratur factum turpe lege notatum, eius iusta cognitio, et subsequuta sententia. Prius necessarium puto propterea, quod poenales leges non ferant extensiuam interpretationem, ideoque infamiae quoque poena ad alia, quam legibus notata exempla trahi non debeat. In cognitione autem facti idem obseruandum erit, quod iam regulae iuris naturalis de imputatione delicti praecipiant, vt scilicet ipsum factum curatius cum legibus conferatur, et de auctore huius facti diligentissime inuestigando iudex sollicitus sit. Quod attinet denique sententiam, non interlocutoria sed definitiua sufficit, argumento L. 13. §. 6. D. de his qui not. inf. Licet vero iusta tantum sententia famae iacturam proferat, L. 8. C. ex quib. caus. inf. irrog. quoad iuris tamen effectus tamdiu infamis huiusmodi condemnatus habetur, modo iuris ordine seruato condemnatus sit, quamdiu innocentiam non demonstrat, cum res iudicata pro veritate habeatur. Quibus sententiae requisitis adhuc addo tertium, quippe vt hac sententia auctor facti ignominiosi suo nomine condemnatus sit ex L. 6. §. 2. D. de his qui not. infamia.

## §. 9.

Plura proferrem et de requisitis huius infamiae et de effectibus eiusque abolitione aut famae restitutione (latissimus enim pater campus, in quem decurrere possem) nisi a ratione consilii quodammodo haec aliena viderentur. Scilicet non totum illud vastum mare controuersiarum circa infamiam exhaurire, sed riuulum saltem, qui abundat multis et superfluis eius diuisionibus exsiccare volui. Quamobrem hic subsisto, et ad extremum Lectorem Beneuolum rogo, vt hos tenues conatus meos in meliorem partem interpretetur.

NOBI-




NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
AUCTORI

S. D.

PRAESES.

**C**um nec temporis nec chartae angustia patiatur, ut iam plenam laudis TVAE significationem dare possim: Breuibus saltem, ne parum studiosus TVI videar, meum in TE animum declarabo, TE que ad praeclara quaeque feliciter contendentem, votis officiisque prosequar. Quid enim facilius meum, TIBI conciliare potuit amorem, quam praeclara TVA modestia atque constans et indefessa industria? Praecipua scilicet haec semper TIBI cura fuit, ut non aliena ageres, aut in rebus inanibus consumeres aetatem, sed tempus bene collocares et doctrinam ad vitae usum publicum que decus transferres. Quo pertinet et hicce TVO Marte elaboratus libellus, quo egregium et ingenii et iurisscientiae edidisti specimen. Quamobrem de tam egregiis laudum decoribus TIBI gratulor atque ut mox uberrimos fructus vitae hactenus in Academia tam laudabiliter peractae colligas, sincere apprecor. Vale, et quod huc usque fecisti, etiam in posterum me amare perge. Lipsiae d. 1. Decbr. CIOCCCLXXVII.



Leipzig, Diss., 1777 A-0

ULB Halle

3

004 568 583




fb  
sb:





Pr. 36. num. 5.

1777, 22



IVRIDICA

IMMEDIATAM

AM NVLLAM

NFAMIAE

EM

INIS AVCTORITATE

DE

GLOB EINERTO

PHILOSOPHIAE

RE

FENDET

R

HORVS PORSCHE

V.

CCLXXVII.

AE

NGENHEMIA.

